

tibus in infinitum, nulla causarum erit prima. Ergo omnes alia tollentur quae sunt media. Hoc autem est manifeste falsum. Ergo oportet ponere primam causam efficientem esse, quae Deus est.

Potest etiam & alia ratio colligi ex verbis Aristotelis in II. Lib. Metaph. (text. comm. IV.) Ostendit enim ibi quod ea quae sunt maxime vera, sunt & maxime entia. In IV. etiam Metaph. (text. comm. VII.) ostendit esse aliquid maxime verum, ex hoc quod videmus duorum falsorum unum altero esse magis falsum; unde oportet ut alterum sit etiam altero verius. Hoc autem est secundum approximationem ad id quod est simpliciter & maxime verum.

Ex quibus concludi potest, ulterius esse aliquid quod est maxime ens, & hoc dicimus Deum. Adhuc etiam inducitur a Damasceno (Lib. I. cap. 111.) alia ratio, sumpta ex rerum gubernatione, quam etiam innuit Commentator in II. Physic. (comm. LXXV. circ. princ.) & est talis. Impossibile est aliqua contraria, & dissonantia in unum ordinem concordare semper, vel pluries, nisi alicujus gubernatione, ex qua omnibus & singulis tribuitur ut ad certum finem tendant. Sed in mundo videmus res diversarum naturarum in unum ordinem concordare, non ut raro, & a casu, sed ut semper, vel in majori parte. Oportet ergo esse aliquid cujus providentia mundus gubernetur, & hoc dicimus Deum.

CAPUT XIV.

Quod ad cognitionem Dei oportet uti via remotionis.

Ostenso igitur quod est aliquid primum ens, quod Deum dicimus, oportet ejus condiciones investigare.

Est autem via remotionis utendum, praecipue in consideratione divinae substantiae. Nam divina substantia omnem formam quam intellectus noster attingit, sua immensitate excedit; & sic ipsam apprehendere non possumus cognoscendo quid est, sed aliqualem ejus habemus notitiam, cognoscendo quod non est. Tanto enim ejus notitiae magis appropinquamus, quanto plura per intellectum nostrum ab eo poterimus removere: tanto enim unumquodque perfectius cognoscimus, quanto differentias ejus ad alia plenius intruemur: habet enim res unaquaeque in se ipsa esse proprium ab omnibus aliis distinctum. Unde & in rebus quarum definitiones cognoscimus, primo eas in genere collocamus, per quod scimus in communi quid est; & postmodum differentias addimus, quibus a rebus aliis distinguatur; & sic perficitur substantiae rei completa notitia.

Sed quia in consideratione substantiae divinae non possumus accipere quid quasi genus; nec distinctionem ejus ab aliis rebus per affirmativas differentias accipere possumus; oportet eam accipere per differentias negativas. Sicut autem in affirmativis differentis una aliam contrahit, & magis ad completam designationem rei appropinquat, secundum quod a pluribus differre facit; ita una differentia negativa per aliam contrahitur, quae a pluribus differre facit: sicut si dicamus Deum non esse accidens, per hoc quod ab omnibus accidentibus distinguitur: deinde si addamus ipsum non esse corpus, distinguemus ipsum etiam ab aliquibus substantiis; & sic per ordinem ab omni eo quod est praeter ipsum, per negationes hujusmodi distinguemus.

(1) Vulgata: Ego enim Dominus, & non mutator.

& tunc de substantia ejus erit propria consideratio, cum cognosceretur ut ab omnibus distinctus; non tamen erit perfecta cognitio, quia non cognosceretur quid in se sit.

Ad procedendum igitur circa Dei cognitionem per viam remotionis, accipiamus principium, id quod ex superioribus jam monstratum est, scilicet quod Deus sit omnino immobilis; quod etiam auctoritas sacrae Scripturae confirmat: dicitur enim Malach. 1. 6. (1) Ego Deus, & non mutator. Jacob. 1. 17. Apud quem non est transmutatio. Numer. 23. Non est Deus quasi homo, ut mutetur.

CAPUT XV.

Quod Deus est aeternus.

EX hoc autem apparet ulterius, Deum esse aeternum. Nam omne quod incipit esse, vel desinit, per motum, vel mutationem hoc patitur. Ostensum autem est Deum esse omnino immutabilem. Est igitur aeternus, carens principio, & fine.

1. Item. Illa sola tempore mensurantur quae moventur, eo quod tempus est numerus motus, ut patet in IV. Phys. (text. comm. CI.) Deus autem est omnino absque motu, ut jam probatum est (cap. XIII.) Tempore igitur non mensuratur: igitur in ipso non est prius, vel posterius accipere: non ergo habet esse post non esse, nec non esse post esse potest habere, nec aliqua successio in esse ipsius inveniri potest, quia haec sine tempore intelligi non possunt: est igitur carens principio, & fine, totum esse suum simul habens, in quo ratio aeternitatis consistit.

2. Adhuc. Si Deus aliquando non fuit, & postmodum fuit, ab aliquoeductus est de non esse in esse. Non autem a se ipso, quia quod non est, non potest aliquid agere. Si autem ab alio, illud est prius eo; ostensum est autem Deum esse primam causam. Non igitur esse incepit: unde nec esse desinet: quia quod semper fuit, habet virtutem semper essendi. Est igitur aeternus.

3. Amplius. Videmus in mundo quaedam quae sunt possibilis esse, & non esse, scilicet generabilia, & corruptibilia. Omne autem quod est possibile esse, causam habet, quia quum de se aequaliter se habeat ad duo, scilicet esse, & non esse, oportet, si ei approprietur esse, quod hoc sit ex aliqua causa. Sed in causis non est procedere in infinitum, ut supra (cap. XIII.) probatum est per rationem Aristotelis. Ergo oportet ponere aliquid quod sit necesse esse. Omne autem necessarium vel haber causam suae necessitatis aliunde, vel non, sed est per se ipsum necessarium. Non est autem procedere in infinitum in necessariis quae habent causam suae necessitatis aliunde. Ergo oportet ponere aliquid primum necessarium, quod est per se ipsum necessarium, & hoc est Deus, quum sit prima causa, ut dictum est (cap. XIII.) Igitur Deus aeternus est, quum omne necessarium per se sit aeternum.

4. Ostendit etiam Aristoteles ex sempiternitate temporis sempiternitatem motus, ex quo iterum ostendit sempiternitatem substantiae moventis. Prima autem substantia movens Deus etiam est. Igitur sempiternus. Negata enim sempiternitate temporis, & motus, adhuc remanet ratio ad sempiternitatem substantiae.

tantiae: nam si motus incepit, oportet quod ab aliquo movente incepit: qui si incepit, ab aliquo agente incepit: & sic vel in infinitum ibitur, vel devenietur ad aliquid quod non incepit.

Huic autem veritati divina auctoritas testimonium perhibet: unde Psalm. CI; 13. Tu autem Domine in aeternum permanes: & idem 28. Tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.

CAPUT XVI.

Quod in Deo non sit potentia passiva.

SI autem Deus aeternus est, necesse est ipsum non esse in potentia.

1. Omne enim id in cuius substantia admiscetur potentia, secundum id quod habet de potentia, potest non esse: quia quod potest esse, potest non esse. Deus autem secundum se non potest non esse, cum sit sempiternus. In Deo igitur non est potentia ad esse.

2. Adhuc. Quamvis id quod quandoque est in potentia, quandoque in actu, prius sit tempore in potentia quam in actu, tamen simpliciter actus est prior potentia: quia potentia non educit se in actum, sed oportet quod educatur in actum per aliquid quod sit actu. Omne igitur quod est aliquid modo in potentia, habet aliquid prius se. Deus autem est primum ens, & prima causa, ut ex supradictis patet. Non igitur habet in se aliquid potentiae admixtum.

3. Item. Id quod est per se necesse esse, nullo modo est possibile esse: quia quod est per se necesse esse, non habet causam. Omne autem quod est possibile esse habet causam, ut supra ostensum est. Deum autem per se est necesse esse. Nullo igitur modo est possibile esse: nihil ergo potentiae in sua substantia invenitur.

4. Item. Unumquodque agit secundum quod est actu. Quod igitur non est totus actus, non toto se agit, sed aliquo sui. Quod autem non toto se agit, non est primum agens: agit enim alicujus participatione, non per essentiam suam. Primum igitur agens, quod est Deus, nullam habet potentiam admixtam, sed est actus purus.

5. Adhuc. Unumquodque sicut natum est agere, in quantum est actu, ita natum est pati, in quantum est potentia: nam motus est actus in potentia existentis. Sed Deus est omnino impassibilis, ac immutabilis, ut patet ex praedictis. Nihil ergo habet de potentia, scilicet passiva.

6. Item. Videmus aliquid esse in mundo quod exit de potentia in actum. Non autem educit se de potentia in actum: quia quod est potentia, nondum est, unde nec agere potest. Ergo oportet esse aliquid aliud prius, quo educatur de potentia in actum. Et iterum si hoc est ens de potentia in actum, oportet ante hoc aliquid aliud poni quo educatur in actum. Hoc autem in infinitum procedere non potest. Ergo oportet devenire ad aliquid quod est tantum actu, & nullo modo in potentia; & hoc dicimus Deum.

CAPUT XVII.

Quod Deus non est materia.

APParet etiam ex hoc, Deum non esse materiam.

1. Quia materia id quod est, in potentia est.

(1) De Dinando (2) Al. visionis.

2. Item. Materia non est agendi principium; unde efficiens, & materia in idem non incidunt, secundum Philosophum. Deo autem convenit esse primam causam effectivam rerum, ut supra dictum est. Ipse igitur materia non est.

3. Amplius. Sequitur res naturales casu existere his qui in materiam omnia reducebant sicut in causam primam, contra quos agitur in II. Phys. text. comm. LXXVII. Si igitur Deus, qui est prima causa, sit causa materialis rerum, sequitur omnia a casu existere.

4. Item. Materia non fit causa alicujus in actu, nisi secundum quod alteratur, & mutatur. Si igitur Deus est immobilis, ut probatum est (cap. XIII.) nullo modo potest esse rerum causa per modum materiae.

Hanc autem veritatem fides catholica confitetur, quae Deum non de sua substantia, sed de nihilo asserit cuncta creasse.

In hoc autem insania David (1) de Divinando confunditur, qui ausus est dicere, Deum esse idem quod prima materia; ex hoc quod si non esset idem, oporteret differre ea aliquibus differentiis, & sic non essent simplicia: nam in eo quod per differentiam ab alio differt, ipsa differentia compositionem facit. Hoc autem processit ex ignorantia, qua nescivit quid inter differentiam, & diversitatem intersit. Differens enim, ut in X. Methaph. (text. comm. XII.) determinatur, dicitur ad aliquid: nam omne differens aliquid est differens: diversum autem aliquid absolute dicitur, ex hoc quod non est idem. Differentia igitur in his quaerenda est quae in aliquo conveniunt: oportet enim aliquid in eis assignari secundum quod differant, sicut duae species conveniunt in genere, unde oportet quod differentiis distinguantur. In his autem quae in nullo conveniunt, non est quaerendum, quo differant, sed se ipsis diversa sunt: sic enim & oppositae differentiae ab invicem distinguuntur; non enim participant genus quasi partem suae essentiae: & ideo non est quaerendum quibus differant; se ipsis enim diversa sunt. Sic etiam Deus, & materia prima distinguuntur, quorum unum est actus purus, aliud potentia pura, in nullo convenientiam habentes.

CAPUT XVIII.

Quod in Deo nulla sit compositio.

EX praemissis autem concludi potest, quod in Deo nulla sit compositio.

1. Nam in omni composito oportet esse actum, & potentiam: non enim plura possunt simpliciter fieri unum, nisi aliquid ibi sit actus, & aliquid potentia. Quae enim actu sunt, non ununtur nisi quasi colligata, vel sicut congregata: quae non sunt unum simpliciter, in quibus etiam ipsae partes congregatae sunt, sicut potentia respectu (2) unionis: sunt enim unitae in actu postquam fuerint in potentia unibiles. In Deo autem nulla est potentia. Non est igitur in eo aliqua compositio.

2. Item. Omne compositum posterius est suis componentibus. Primum ergo ens, quod Deus est, ex nullis compositum est.

3. Adhuc. Omne compositum est potentia dissolubile, quantum est ex ratione compositionis, licet in quibusdam sit aliquid aliud dissolutioni repugans. Quod autem est dissolubile, est in potentia ad non esse.

B2. munditior esse

esse: quod Deo non competit, cum sit per se neces-
se esse. Non est ergo in eo aliqua compositio.

4. Amplius. Omnis compositio indiget aliquo
componente: si enim compositio est, ex pluribus est:
quæ autem secundum se sunt plura, in unum non
conveniunt, nisi ab aliquo componente unantur. Si
igitur compositus esset Deus, haberet componentem:
non enim ipse se ipsum componere posset, quia nihil
est causa sui ipsius: esset enim prius se ipso, quod
est impossibile. Componens autem est causa efficiens
compositi. Ergo Deus haberet causam efficientem;
& sic non esset causa prima, quod supra (cap. xiiii.)
habitu est.

5. Item. In quolibet genere tanto aliquid est no-
bilius, quanto simplicius, sicut in genere calidi,
ignis, qui non habet aliquam permixtionem frigiditatis.
Quod igitur est in fine nobilitatis omnium entium,
oportet esse in fine simplicitatis. Hoc autem quod est
in fine nobilitatis omnium entium, dicimus Deum,
cum sit prima causa: causa enim est nobilior ef-
fectu. Nulla igitur compositio ei accedere potest.

6. Præterea. In omni composito bonum non est
hujus vel illius partis, sed totius; & dico bonum se-
cundum illam bonitatem quæ est propria totius, &
perfectio ejus: nam partes sunt imperfectæ respectu
totius, sicut partes hominis non sunt homo: partes
enim numeri senarii non habent perfectionem sena-
rii, & similiter partes linearum non perveniunt ad per-
fectionem mensuræ, quæ in tota linea invenitur. Si
ergo Deus est compositus, perfectio, & bonitas ejus
propria invenitur in toto; non autem in aliqua ejus
partium; & sic non erit in eo pure id bonum quod
est proprium ei. Non est ergo ipse primum, & sum-
mum bonum.

7. Item. Ante multitudinem oportet invenire
unitatem. In omni autem composito est multitudo.
Igitur oportet id quod est ante omnia, scilicet Deum,
omni compositione carere.

CAPUT XIX.

Quod in Deo nihil est violentum, nihilque præter na-
turam.

EX hoc autem concluditur, quod in Deo nihil po-
test esse violentum, neque extra naturam.

1. Omne enim id in quo aliquid violentum, &
præter naturam invenitur, aliquid sibi additum ha-
bet: nam quod est de substantia rei, non potest esse
violentum, nec præter naturam.

2. Amplius. Necessitas coactionis est necessitas
ex alio, vel ab alio. In Deo autem non est necessitas
ex alio, sed est per se ipsum necessarium, & causa
necessitatis aliis. Igitur in eo nihil est coactum.

3. Adhuc. Ubi quævis est aliquid violentum,
ibi potest esse aliquid præter illud quod rei per se
convenit: nam violentum movetur circulariter motu
secundum naturam. Sed in Deo non est possibile ali-
quid esse præter id quod secundum se ei convenit;
cum secundum se sit necesse esse, ut ostensum est
(cap. xiiii.) Non potest igitur in eo esse aliquid vio-
lentum.

4. Item. Omne in quo est aliquid violentum, vel
innaturale, natum est moveri ab alio: nam violentum
est cuius principium est extra, nil conferente
vim passivo. Deus autem est omnino immobilis, ut os-
tensum est (tibi sup.). Igitur non potest in eo esse ali-
quid violentum, vel innaturale.

CAPUT XX.

Quod Deus non est corpus.

EX prædictis autem ostenditur, quod Deus non
est corpus.

1. Omne enim corpus, cum sit continuum,
compositum est, & partes habens. Deus autem non
est compositus, ut ostensum est (cap. xviii.). Igitur
corpus non est.

2. Præterea. Omne quantum est aliquo modo in
potentia: nam continuum est potentia divisibile in
infinitum, numerus autem in infinitum est augmen-
tabilis. Omne autem corpus est quantum. Ergo omne
corpus est in potentia. Deus autem non est in poten-
tia, sed actus purus, ut ostensum est cap. xvi. Ergo
Deus non est corpus.

3. Adhuc. Si Deus est corpus, oportet quod sit
aliquod corpus naturale: nam corpus mathematicum
non est per se existens, ut Philosophus probat (III.
Metaph. text. comm. xviii.). eo quod dimensiones
accidentia sunt. Non autem est corpus naturale, cum
sit immobilis, ut ostensum est (cap. xiiii.): omne
autem corpus naturale mobile est. Deus igitur non
est corpus.

4. Amplius. Omne corpus finitum est, quod tam
de corpore circulari, quam de recto probatur in I.
cæl. & mund. (a text. comm. xxxv. usque ad lxxv.
inclusive.) Quodlibet autem corpus finitum intellectui,
& imaginatione transcendere possumus. Si igitur
Deus est corpus, intellectus, & imaginatio nostra
aliquid majus Deo cogitare possunt; & sic Deus non
est major intellectu nostro, quod est inconveniens.
Non est igitur corpus.

5. Adhuc. Cognitio intellectiva certior est quam
sensitiva. Invenitur autem aliquod objectum sensus
in rerum natura. Ergo & intellectus. Sed secundum
ordinem objectorum est ordo potentiarum, sicut &
distinctio. Ergo super omnia sensibilia est aliquid in-
telligibile in rerum natura existens. Omne autem cor-
pus in rebus existens est sensibile. Igitur super omnia
corpora est aliquid accipere nobilius. Si igitur Deus
est corpus, non erit primum, & maximum eorum.

6. Præterea. Quolibet corpore non vivente, res
vivens est nobilior: quolibet autem corpore vivente
sua vita est nobilior, cum per hoc habeat supra alia
corpora nobilitatem. Id ergo quod nihil est nobilius,
corpus non est. Hoc autem est Deus. Ergo non est
corpus.

7. Item. Inveniuntur rationes Philosophorum
(VIII. Phys. text. comm. lxxi. & seq.) ad idem os-
tendendum, procedentes ex æternitate motus in
hunc modum: In omni motu sempiterno oportet
quod primum movens non moveatur, neque per se,
neque per accidens, sicut ex supradictis (cap. xiiii.)
patet. Corpus autem cæli movetur circulariter motu
sempiterno. Ergo primus motor ejus non movetur
neque per se, neque per accidens. Nullum autem
corpus movet localiter, nisi moveatur, eo quod
oportet motum, & movens esse simul; & sic corpus
movens moveri oportet, ad hoc quod sit simul cum
corpore moto. Nulla etiam virtus in corpore movet,
nisi per accidens moveatur, quia motu corpore, mo-
vetur per accidens virtus corporis. Ergo primus motor
cæli non est corpus, neque virtus in corpore. Hoc
autem ad quod ultimo reducitur motus cæli sicut ad
primum movens immobile, est Deus. Deus igitur
non est corpus.

Adhuc.

8. Adhuc. Nulla potentia infinita est potentia in
magnitudine. Potentia primi motoris est potentia in-
finita. Ergo non est in aliqua magnitudine; & sic
Deus, qui est primus motor, neque est corpus, ne-
que est virtus in corpore. Prima sic probatur. Si po-
tentia alicujus magnitudinis est infinita; aut ergo
erit magnitudinis finitæ, aut infinitæ. Magnitudo
infinita nulla est, ut probatur in III. Physic. text.
xxxix. & seq. & in I. cæl. & mund. a text. comm.
xxxv. usque ad lxxv. magnitudinis autem finitæ non
est possibile esse potentiam infinitam; & sic in nulla
magnitudine potest esse potentia infinita. Quod au-
tem in magnitudine finita non possit esse potentia in-
finita, sic probatur. Æqualem effectum quem facit
potentia minor tempore majori, facit potentia
major tempore minori, qualiscumque sit ille effec-
tus, sive sit secundum alterationem, sive secun-
dum motum localem, sive secundum quemcum-
que alium motum. Sed potentia infinita est major
omni potentia finita. Ergo oportet quod in minori
tempore perficiat effectum velocius movendo quam
potentia quæcumque finita. Nec potest esse quod in
minori quodam sit tempore. Relinquitur ergo quod
hoc erit in indivisibili temporis & sic movere &
moveri, & motus erunt in instanti; cuius contra-
rium demonstratum est in VI. Physic. a text. comm.
xxix. usque ad xxxi. Quod autem non possit po-
tentia infinita magnitudinis finitæ movere in tem-
pore, sic probatur. Sit potentia infinita, quæ est A, ac-
cipiatur autem pars ejus, quæ est B. Pars igitur
ista movebit in tempore majori; oportet tamen esse
aliquam proportionem hujus temporis ad tempus in
quo movet tota potentia, cum utrumque tempus sit
finitum. Sint igitur hæc duo tempora in decupla pro-
portione se ad invicem habentia: non enim quantum
ad hanc rationem differt istam, vel aliam proportio-
nem dicere. Si autem addatur ad potentiam finitam
prædictam, diminui oportebit de tempore, secun-
dum proportionem additionis ad potentiam finitam,
cum major potentia in minori tempore moveat. Si er-
go addatur decuplum, illa potentia movebit in tem-
pore quod erit decima pars temporis in quo movebat
prima pars accepta infinitæ potentie, scilicet A, B;
& tamen hæc potentia quæ est decuplum ejus, est
proportio finita, cum habeat proportionem determi-
natam ad potentiam finitam. Relinquitur igitur quod
in eodem tempore movet potentia finita, & infinita;
quod est impossibile. Non igitur potentia infinita
magnitudinis finitæ potest movere in tempore aliquo.

Quod autem potentia primi motoris sit infinita, sic
probatur. Nulla potentia finita potest movere tem-
pore infinito, quia motus primus est sempiternus.
Ergo potentia primi motoris est infinita. Prima sic
probatur. Si aliqua potentia finita alicujus corporis
moveret tempore infinito, pars illius corporis habens
partem potentie, movebit in tempore minori, quia
quanto aliquid est majoris potentie, tanto in majori
tempore motum continuare poterit, & sic pars præ-
dicta movebit tempore finito: major autem pars in
majori tempore movere poterit; & sic semper, se-
cundum quod addatur ad potentiam motoris, addet-
ur ad tempus, secundum eandem proportionem.
Sed additio aliquoties facta perveniet ad quantita-

tem totius, vel etiam excedet. Ergo & additio ex
parte temporis perveniet ad quantitatem temporis in
quo movet totum. Tempus autem in quo totum mo-
vebat, dicebatur esse infinitum. Ergo tempus finitum
metietur tempus infinitum, quod est impossibile. (1)

Sed contra hunc processum plures sunt objectio-
nes: quarum una est, quia potest poni, quod illud
corpus quod movet primum motum, non est divisi-
bile, sicut patet de corpore celesti. Prædicta autem
probatio procedit ex divisione ejus.

Sed ad hoc dicendum est, quod conditionalis po-
test esse vera, cuius antecedens est impossibile; &
si quid est quod destruat veritatem talis conditiona-
lis, est impossibile; sicut si aliquis destrueret verita-
tem hujus conditionalis. Si homo volat, habet alas,
esset impossibile. Et secundum hunc modum intel-
ligendus est processus probationis prædictæ: quia
hæc conditionalis est vera: Si corpus celeste dividi-
tur, pars ejus erit minoris potentie quam totum; hu-
jus autem conditionalis veritas tollitur, si ponatur
primum movens esse corpus, propter impossibilia
quæ sequuntur: unde patet hoc esse impossibile.

Et similiter potest responderi, si fiat objectio de
augmento potentiarum finitarum, quia non est acci-
pere in rerum natura potentias secundum omnem
proportionem quam habet tempus ad tempus quod-
cumque, est tamen conditionalis vera, quæ in præ-
dicta probatione indiget.

Secunda objectio est, quia etsi corpus dividitur,
aliqua virtus potest esse alicujus corporis quæ non
dividitur diviso corpore, sicut anima rationalis non
dividitur diviso corpore.

Et ad hoc est dicendum, quod per processum præ-
dictum non probatur, quod non sit Deus conjunctus
corpori, sicut anima rationalis corpori humano; sed
quod non est virtus in corpore, sicut virtus materialis,
quæ dividitur ad divisionem corporis: unde etiam di-
citur de intellectu humano, quod non est corpus,
neque virtus in corpore. Quod autem Deus non sit
unus corpori, sicut anima, alterius rationis est.

Tertia objectio est, quod si cujuslibet corporis po-
tentia finita est, ut in prædicto processu ostendi-
tur; per potentiam autem finitam non potest ali-
quid durare tempore infinito; sequitur quod nullum
corpus possit durare tempore infinito, & sic corpus
cælestis de necessitate corrumpetur, non de necessitate.

Ad hoc autem a quibusdam responderetur, quod
corpus celeste secundum potentiam suam potest de-
ficere; sed perpetuitatem durationis acquirit ab alio,
quod est potentia infinita. Et huic solutioni videtur
attestari Plato (in Timæo) qui de corporibus cæles-
tibus Deum loquentem inducit in hunc modum:
*Natura vestra estis dissolubilia, voluntate autem mea
indissolubilia, quia voluntas mea major est nexu vestro.*
Hanc autem solutionem improbat Commentator in XII.
Metaph. comm. xli. & VIII. Phys. comm. lxxix.
Nam impossibile est, secundum eum, quod id quod est de se
possibile non esse, acquirat perpetuitatem essendi ab alio:
sequitur enim quod corruptibile mutaretur in incorruptibile;
quod est impossibile secundum ipsum. Et ideo ipse in hunc
modum respondet, quod in corpore celesti omnis
potentia quæ est, finita est; non tamen oportet quod
habeat omnem potentiam: est enim in corpore cæ-
lesti.

(1) In veteribus exemplaribus hic desinit cap. xx. & a sequentibus verbis: Sed contra hunc processum incipit
cap. xxi. cum hoc titulo: Objectiones contra hunc processum. In recentioribus vero unicuique caput omnia complec-
titur. Hæc adnotat Lucarius in animadversionibus in textum D. Thomæ.